NEMO CALENDIS MAII.

Anno Dom. 1617.

Authore IOANNE LEOCHAEO SCOTO.

EDINBURGI,

Excudebat THOMAS FINLASON, Typographus

REG. MAJEST. 1617.

NEMINIS,

MVSEVM BRITAN NICVM.

EFFIGIES.

AUTHOR IN NEMINIS EFFIGIEM.

NEminis effigies vera heic oſtenditur; ipſi
Fronte, oculis, toto corpore perſimilis:
Nam ſi ipſum aſpicias, (*ceu vidit Homerus*) imago
Illius hęc dubites, hujus an ille magis.

IN THOMAM FINLASONIUM TYPOgraphum qui Neminis hanc effigiem formauit & adpoſuit.

NEminis hoſne Deus finxit de marmore vultus?
Anne manus dîj duxerat artificis?
Quiſquis is eſt animæ vidit bene Neminis ora,
Et viſa expreſſit primus, in hac tabulâ:
Mirum equidem! quid tanta *Myron*, quid jactet *Apelles*,
Si *Finlaſonij* plus dabit una manus?

Augustissimo, terfelici,

IACOBO · I · MAGNÆ BRITANNIAE, FRANCIAE, ET HIBERNIÆ, MONARCHÆ:

Fidei Defensori &c.

IPROTUISIN hoc ævum meritis, & ingenitâ illâ virtute, quæ non alibi altiores egit radices quam in isto pectore, *Augustiss*^me *Monarcha*, pana á *Musis* retribuerentur præmia: aut si de se hoc polliceri posset *Apollo*, ut egregii Principis, egregias laudes, stylo satis digno, & encomiis non intermorituris, ab omni obliuionis vindicare iniuriâ auderet: immemor ego omnino mei essem, & propè iam *Libitinæ* hostia, si non in hanc arenam lubentissimo animo primus descenderem. Verùm cùm in ipso statim conatuum meorum limine, exspectationi huic nihil respondere vidissem, spem penitus omnem abjeci; & insolito virtutum tuarum ful-

fulgore confusus, *Harpocraticum* mihi planè silentium ad præsens indixi: qui si quid in me virium comperissem, non stimulis ad hoc urgendus, sed potius sufflaminandus fuissem. Interim, ne prorsus ἀσύμβολος, illum ad S. M^m. T. mitto, qui desiderium meum in hoc ex aliquâ parte impræsentiarum leniat; & quod ego vix sperare ausim, effectum planissimè reddat, NEMINEM intelligo, qui solus apud omnes invenitur tanto oneri subeundo non ineptus. ille enim vnus te digna canet; ille pectus illud omnibus pervium *Gratiis*, & ipsâ humanitate humanius, usq; ad *Invidiæ* ringentis dolorem apertissimè delineabit, Nec est quod Rei publicæ curam excuses, aut quod

Tu tot sustineas & tanta negotia solus,

NEMO enim pro te illud onus quantumvis maximum humeris suis subibit. Quid, quod huic semper & vbiq; vaces? nec unquam excluseris, aut à conspectu, & amabili tui amplexu abduxeris; Intempestivum fortassis Aug.^me. M. dixeris, absit. ecquis enim quæso hanc illi infamiæ notam inusserit; quum mitis, placidus, magnanimus, generosus, & ut συλλήβδην dicam verus omnium sit virtutum Antistes: tuiq; solius simillimus? Accipe ergo S. P. quâ, & alia soles, fronte, NEMINEM hunc inopem (mihi crede) sui, sed cui tu si fauere dignabere, nec corporis, nec animę expertem futurum. ita quidem eventurum certissimè hariolor: nec unquam aliud a tam *Musis* favente *Apolline* expectavero.

Humillimus Majest. V. Subditus

IOANNES LEOCHAEUS.

NEMO CALENDIS MAII.

Ann' Dom. 1617.

VERANE *te facies, (magni ſuprema* Tonantis
Cura,) mihi ante oculos clara modo luce videndum
Obtulit? an veri ſpecies deluſit amantem?
At certe ſi fas ſuperos vidiſſe ſine ullo
Crimine mortali, vidi, vidi ipſe micantes
Sideribus ſimiles oculos JACOBE: *decuſq́*
Oris, & æternos radiatæ frontis honores.
O mihi ſi totas Helicon *indulgeat undas!*
O Phœbi *delubra adeam! O ſi* Delphica *plenis*
Serta feram calathis! jam quum nova ſecula cernam
Surgere, falciferiq́ Dei redeuntia regna.
Non ignota cano, gelidi caluere Triones,
Ocyor ignavus ſequitur ſua plauſtra Bootes,
Et concreta diu liquuntur inhoſpita Ponti
Frigora per gelidos multum indurata Decembres.
Scilicet & ſuperum tangunt mortalia mentes,

Nec sorte o REX *magne fluunt hæc infima, spectat*
Gaudia nostra DEUS *medio sublimis olimpo*
Te præsente uno, quo se tam SCOTIA *jactat*
Quam Jove Creta *suo*, Cadmi *quam regia* Baccho,
Quam Delos *gemino* Latonæ *turgida partu.*
Aspicis ut reliquos super Acro-levinia *montes*
Surgat? & aërios fratrum stipante caterua
Ostentet vultus cœlo sublimis Ochellus?
Aspicis ut gelidi exultent juga ninguida Grampî,
Et pluvium plus ferre Jovem, Boreamq; *recusent?*
Aspicis ut fusæ per devia rura Napeæ
Florentes calathis violas & lilia portent?
Vtq; super vitreas Nymphæ Fortheides *undas*
Extent nutricum tenus? & Doneides *udæ*
Effingant varium liquido sub gurgite lusum,
Mollia per medias jactantes brachia gemmas?
Ipsa Cithoriaco *quoties tibi pectine* Tellus
Diduxit canos rugosa a fronte capillos?
Et voluit si non meruit formosa videri?
Se perlucenti quoties velavit amictu
Læta genas Zephyri *conjunx, & flava capillos.*
Fallor Apollineos *an quæ modo laurea vultus*
Cingebat, tibi visa quati: chordæq; movere
Sponte quod attentas dulcedine molliat aures.
Quicquid id est nitidæ tibi sese JACOBE Camœnæ
Exornant, tibi serta ferunt, queis vertice cœlum
Sublimi ferias vates generosus, & omni
Invidia major, viden' ut simul exiluere?
Et modo præstrinxere oculos fulgore coruſco?
Non temere exiluere, at habent memorabile quod sit.
Sume igitur tibi quæ MAII *nova dona calendis*

Appro

Approperant dum vernat humus, dum gramine in om
Sudat acum variante manu Zepherëia Chloris, (*ni*
Dumq; tibi in densa sylvarum Daulias *umbra*
Nobile de tenui deducens gutture carmen
Mille modos variat, certe jam pulchrior annus
Et rerum melior redeunti arridet imago;
Interea doctas paulum hæc tibi mulceat aures
Fistula, & ingentem testetur carmine amorem
Exiguo, ne sperne precor, non viliarerum,
Furta Jovis, *profugumq; senem,* Corybantiaq; *æra,*
Aut de Caucalea *pendentem rupe* Prometheum,
Aut quo Deucaleon *de culmine spreveric undas,*
Pyrrha *ve adhuc vacuum lapides jactarit in orbem,*
Sed quæ non vatum signavit multa priorum
Orbita trita canunt. tu tantum (o Magne) *parumper*
Per te, perq; tuas tibi cognita numina Musas,
Flecte aurem facilem: nec dedignere rogari.
Nemo *tibi canitur,* Nihil *hunc genera verat olim*
De Nihilo, *quum nondum unum glomeratus in orbem*
Mundus ubiq; foret: nec dum Titania *lucem*
Astra darent: medio aut penderet in aere Tellus
Pondere fulta suo, circumq;, infraq;, supraq;,
Suspiceret nitidi laqueata palatia cœli:
Quum nondum Maris *æquor aratum classibus, aut sub*
Marmore Carpathius *sua pasceret agmina* Proteus:
Quum nondum vacui tractus, celeresq; meatus
Aeris, *aut rapidos ascendens* Cynthia *currus*
Cingeret innocuas liquidum super aera flammas:
Sed Deus *æterna sese quum mente moveret,*
Nemo *uni-trinoq;* Deo *tum creditur isse*
Vix unus comes ipse: (canunt si vera priores.)

Omnia NEMO unus; vir, fœmina, neutrum, & u-
Proteaq; ambiguis posset qui vincere formis. (trunq;:
NEMO ortum fuit ante suum, (mirabile dictu)
Quoq; die dulces vitai luminis auras
Hausit primum oculis, tantum se præbuit orbi
Spectandum quantum esse ferunt: en aspice corpus
NEMINIS, & validos ingentia membra lacertos,
Terrigenam credas: tantum se tollit, & altis
Emicat assurgens humeris, speciosus: & omni
Parte trahens oculos in se spectantiaq; ora.
Hunc quoq; principio sunt qui dixere sine ullo,
Et sine fine futurum haud clausum legibus ævi:
Quicquid id est, NEMO magnum sapiensq; videris:
Quicquid id est, o NEMO Joui par esse videris:
Quicquid id est, (superi nec forte negabitis unquam,
Haud scelus est verbis) NEMO es Jove celsior ipso.
Vlterius neq; enim ire datum. Tu diceris ante
Annorum spatia, & tempus vixisse vetustum.
Magna cano, sed vera cano: discordia rerum
Semina, concordi vidisti pace ligata.
Vtq; super Lunæ proles Cyllenia bigas
Currat: & ut super hunc nitidis formosa Dione
Incedat pedibus, comitata Cupidine parvo:
Quam tamen auricomus qui temperat omnia Phœ-
Infra se positam cupidis miretur ocellis: (bus
Huncq; super Getica tumidus Mars fulguret hasta,
Terribiles acuens animos, belloq; paratos:
Altior hoc valida qui fortia fulmina dextra
Torquet, in audaces Titania semina fratres:
Inde senex Latias quondam qui fugit in oras,
Squalidus, & multis tardus Saturnus ab annis:

Nec me-

Nec metam heic operis magnum posuisse Tonantem;
Hunc super incumbit Stellarum *luce coruscus,*
Crystallique orbis, *dein quod rapit omnia* Primum
Mobile, *& inde* Locus *qui continet usq3* Beatorum
Innocuas animas: quæ tu Nemo *omnia solus*
Vidisti æterno quum spiritus ibat ab ore.
Nemine *quid mirabilius? sine corpore corpus*
Absq3 pedum officio graditur: sine lumine cernit:
Absq3 manu tangit: comedit sine dentibus ullis:
Dum dormit vigilat: ridet dum flere putares:
Esurit & satur est: medio multum alget in æstu:
Spiritus est, clara præbet se luce videndum:
Nusquam, & ubiq3 manet: volitat sine remige penna:
Auris ei non ulla, audit tamen omnia solus:
Non lingua, at loquitur: non naris, at haurit odores:
Non mens est, secum at solus sine mente revolvit
Qua deceat, qua non sapientem viuere lege.
Nemo Erebi *regem, conjuratosq3 tumultus*
In commune scelus, superis de sedibus ire in
Tartara *præcipiti vidit per inane rotatu:*
Obstupuitq3 alios medias hæsisse per auras,
Hos pelagi, hos terræ cæcas subiisse cavernas.
Nemo *horum insidias,* Nemo *horum retia rara*
Tensa sibi, & scelerum offerri fomenta novorum
Perspicit: huic etenim nunquam Tegeatica *dulci*
Fistula sopierit vigilantia lumina cantu.
Nemo *aderat viridi quum cespite fusus* Adamus
Procubuit, dulces spirans de pectore somnos:
Quumq3 opifex rerum lateris formasse sinistri
Dicitur e costa formosos virginis artus,
Quæ vitæ comes una foret, comes una laborum,

Cum

Cumq́ viro curas magnarum ponderarerum.
Diuideret, solers animi, dominumq́ maritum
Nosceret, atq́ ut amans eidem pareret amanti;
Molle animal, blandumq́ simul, durumq́ futurum,
Illice quod forma incautos fraudaret amantes
Sensibus, & validum succenderet ossibus ignem,
Cui fluerent rosei per eburnea colla capilli,
Altaq́ sidereæ superos fastigia frontis
Suspicerent, mixtusq́ rubor candore niuali
Luderet in geminis parili moderamine malis,
Cui lætos natura oculis afflauit honores,
Egregiumq́ decus roseis dedit esse labellis,
Cui teretes fecit digitos, cui læuia crura,
Et modica exiguæ finxit vestigia plantæ.
Hoc animal gratum usq́ viro, NEMO unicus odit:
NEMINEM & hoc animal pariter non diligit unum.
NEMO Bonam inuenit, toto quæ quæritur orbe
Fœmina, nondum inuenta omni: tibi NEMO sed uni
Moribus, & vultu satis est perspecta modesto.
Viuere natura potis hæc contenta magistra,
Externæ non indiga opis: non oblita fuco
Cæsariem: non picta genas: non prodiga cultu,
Cultu quo Veneris spectantibus ingerat æstus,
Cultu quo nunquam satis est ornata, sed addi
Parvum aliquid cupiat plenam quo exhauriat arcam:
Non vaga, & errabunda, Deo velut ebria Mœnas,
Sed testudo domum solers operosaq́ servans:
Parca satis, nec auara tamen. non rustica plane,
Ingenua sed quæ sit simplicitate probanda:
Non tristis, nimiumue severa, aut ebria cura
Sollicitum pungente animum, sed læta, faceta,

Nec

Nec laſciua nimis: ſed lingua & mente pudica:
Sed thalamo contenta uno, caſtisq; lacertis:
Non verbis onerosa viro, non litibus ullis,
Ora ſed Hyblæis *ſolvens mellita loquelis,*
Quid deceat quid non, quæ clam pudibunda reprendat.
Talem ille invenit celeri dum forte carina
Vela daret, curſumq; legens de parte ſiniſtra,
Flore novus, Angla *dictasq; a virgine terras,*
Cubam, Hiſpaniolamq; *ipſo medio æquore ſparſas,*
Terrarumq; alios quos claudit America *tractus*
Præterit; & Zephyro *blandum aſpirante ſecundo*
Prona legit maria, & pelago ſe credit aperto.
Quæq; ſecat curvus ſitientia prata Maragnon
Deſerit, hinc pluvium curſus deflectit in Auſtrum;
Illic in mediis tenebris dum ſingula luſtrat,
Ignotasq; homini terras errare videtur,
Nulla ubi nautarum veſtigia nota priorum
Vidit in obſcuris ſolam hanc latitare cavernis;
Accepitq; viæ comitem ſociamq; laborum:
Inde tamen ſomnis actus monitisq; Deorum
Vela dedit, gravidamq; ſibi (ſic fama) reliquit:
Ignotaſq; iterum terras Aquilonia *regna*
Perpetua clauſas glacie, ventisq; furentes
Appulit, illa tamen ſylvas, ſaltusq; peragrat
Sola, & crudeles memorat cum NEMINE *divos.*
NEMO *redi, quidnam o meritam nil tale relinquis?*
Quæve fugæ tibi cauſa tuæ eſt, odiive latentis?
NEMO *redi, quid enim faceres ſi peßma rerum*
Conjugis in titulos ullis tibi legibus iſſet?
Amplecti hanc vinctis poſſes per colla lacertis?
Huic dare blanditias? huic oſcula dulcia ferre?

Credo equidem, & miseri quæ non credemus amantes?
NEMO *mala gaudet, sed* NEMO *bonam immemor*
Durior o chalybum venis; velocior Euris; *odit.*
Horridior tribulis; rapido violentior igne;
Surdior, & pelagi multo fallacior undis;
Hellebori succo, Sardoa *& amarior herba;*
Sævior indomitis Lybica *de rupe leænis;*
His immobilior quæ tundunt æquora saxis;
Idem at si redeas, nec me ad mea fata relinquas,
Candidior nive, lacte novo, foliove ligustri;
Floridior pratis; cultis formosior hortis;
Mitior Idaliis *dum jungunt rostra columbis;*
Mollior aut pluma, aut matura in vitibus uva;
Lævior o glacie; crystallo purior omni;
Dulcior Hyblęo *stipatis nectare cellis;*
Nobilior vulso Hesperio *de stipite pomo;*
Charior o gemmis Eoo *a limite missis;*
Passere, & in pratis tenero lascivior agno;
Gratior, & Zephyri *blanda clementior aura:*
NEMO *redi, formose redi, mea sola voluptas.*
Hæc Bona, (nunc Phœnix, & corvo rarior albo,)
Fœmina multa queri: quum Sol *se promeret undis*
Mane novo, occiduisq; iterum se conderet undis.
Nunc misera hei! curis & luctisonis lamentis
Fracta, animam liquidas tandem exhalavit in auras.
Ah NEMO, *te non gemitus, non murmura amantis,*
Non lachrymæ movere in verba extrema profusæ.
O nimium felicem, omniq; a parte beatum
Si partem hanc demas; o qui sine crimine vivis,
Si non crimen erit placidam lusisse puellam;
Fors tamen ille Puer *pharetra præsignis, & arcu,*

Vrer

Vret vindicibus rapidum tibi pectora telis:
Auguror. at NEMO *nec amat nec amaverit unquã*
Ille Deum, pharetramq́ gravem, celeresq́ sagittas
Spernit: namq́ aliis luxum transcribit habendum,
Otiaq́ ignavo torpent cui membra veterno.
NEMO *etenim studiis unus vacat usq́ Minervæ*
Indefesso animo, neq́ dulci lumina somno
Declinat placida perfusus membra quiete.
Sed per inane Chaos Ditisq; silentia regna,
Vsq́ vigil, tota quam longa est nocte vagatur.
Inde ubi de pelago nitidum caput auricomus Sol
Extulit, & tenebris patuerunt cuncta fugatis,
NEMO *animum exercet studiis & rebus honestis:*
Virtuti vitium, & vitiorum alimenta malorum
Terga dare, insolitisq́ adigit parere lupatis.
Hinc NEMO *in doctis* Epicuri *pallidus hortis*
Visitur, & de Socraticis *oracula chartis*
Miratur secum tacitus, scrutatur & altis
Naturæ clausus scopulis, quis temperet orbem
Spiritus; immensum quæ vis rotet enthea cœlum;
Credibile anne unquam perfecto temporis ævo,
Mutandum tam pulchri operis sine labe decorem
In melius, terrasq́ novas, nova & astra futura;
An vero sine principio quia dicitur orbis
Temporis haud poterit spatiis constringier ullis,
Nec cariem sentire ævi. cur Luna *laboret;*
Quid tegat illustres Phœbi *radiantis ocellos;*
Menstrua Luna *novos toties cur proferat ortus,*
Et toties lateat; ruptisne e nubibus ignis
Exiliat mediis qui horrendum immurmuret auris;
Vnde nives, grandove cadat crepitante procella;

Vnde imber, medio ſuſpenſæ aut aere nubes;
Euripus *refluo toties cur volvitur æſtu;*
Vnde tremat Tellus, *rupta aut compage dehiſcens*
Pallentes reſeret fauces Acherontis, *&* Umbras
Terreat expulſis tenebris. quæ ſingula Nemo
Naturæ expediet validis ſatis argumentis.
Otia ſic ſtudiis Nemo *poſtponit, & alta*
Mente Diis propior, ſuperat rationis in aula
Singula ſollicitis animi percurrit ocellis:
Ludicraq; & vacuæ deliramenta juventæ,
Fæci orbis, miſeræ plebi, vappiſq; relinquit.
Sæpe tamen gemitus Nemo *eſt ſolatus amantis,*
Deq; genis lachrymas terſit ſalſo imbre fluentes.
Teſtis arenoſo deſerta in littore Diæ,
Indomitos in corde gerens Ariadna *furores.*
Hunc etenim in thalamo trepidantibus excita ſomno
Prenſavit manibus, Zephyro *quum vela dediſſe*
Vidit Erichthæas *animo externata carinas.*
Nemo *etenim miſeros ſemper comitatur euntes:*
Quiq; audent multis caput objectare periclis.
Hoc comite edomuit juvenis Minoïa *monſtra*
Cecropius, *longiq; premens veſtigia fili*
Dædala Gortinii *ſuperavit tecta Tyranni.*
Hoc comite aggrediens ſoboles Jeſſæa Goliam,
Torſit in adverſam Balearia *verbera frontem;*
Proſtravitq; in humum, & rorantia ſanguine multo
Ora Philiſteâ *præfixit cuſpide; inermis*
Ipſe, ſed æternæ confiſus robore dextræ.
Ille tibi Alcide *diram comes ibat in* Hydram,
Ille Cleonæum *docuit proſtraſſe leonem,*
Omnia tu hoc comite audebas, namq; ille feroces

Augebatq; animos belliq; acuebat amore.
Hunc Briareus, *ingensq* Mimas, *cum pompa Deorum*
Ad Peluſiacos *fugeret turbata colonos,*
Extimuere ſimul; pariterq ingentia turpi
Terga dedere fugæ: ſtetit obtutu ille ſevero
Terribilis, nulla mutatus membra figura.
NEMO *olim excuſſo fertur* Phaetonte *quadrigis,*
Lora manu volucrum ignotus moderator equorum
Corripuiſſe, diemq; unum rexiſſe jugales.
NEMO *olim æquoreis fertur vixiſſe ſub undis,*
Quum genus humanum penitus ſubmergere ponto
Magne parens tibi fixum animo immotumq; ſederet.
NEMO *olim* Paradiſiacis *permanſit in hortis,*
Quum fugeret ſancti violata lege parentis,
Aligero claudente aditum, cum coujuge Adamus.
Et tibi NEMO *oculos* Siculi *ſub fornice ſaxi*
Eruit, Argolico *madidus dum forte* Lyæo,
Viſceribuſq; hominum, ſatur o Polypheme *jaceres.*
Non huic Tydides *quamvis læſiſſe* Dionen
Dicitur, & belli fulmen Salaminius Ajax,
Non Pelei *ſoboles, non huic Priameius* Hector,
Aut quos magnanimos Ganges *ſpectavit & Iſter*
Certarint: non ipſe humeris qui pondera cœli
Suſtulit, & totum domuit fera monſtra per orbem.
Dij precor indigites numero hunc ſuperaddite veſtro:
Si cœlum non ante tenet. cur Liber, *& ille*
Qui Rutulos *domuit factis meruere decoris,*
Sydereas intrare plagas & templa Deorum?
Cur petiit cœlum ſola virtute ſuperbus
Amphytrioniades; *colitur quid* Romulus *aris*
Si tua non liceat venerari numina NEMO?

Et ne forte putes vacuas me hæc fundere in auras,
Ecce Aquilonigenæ *veniunt cum thure* Britanni
Vt te NEMO *colant: sed* CHRISTVM *licet ore loquan-*
Mente tuum tacita numen venerabile servant. (*tur*
Fas etenim NEMO, NEMO *justumq; piumq;*
Curat. NEMO *fidem servat non fictus amico.*
NEMO *dolis & fraude malaque haud utitur arte:*
NEMINI *enim conclusum argenti pondus & auri,*
Infossumq; soli gremio monstrabit auarus.
NEMO *non loquitur falsa mendacia lingua.*
NEMO *placet cunctis, non illum carpere posset*
Zoilus, *aut vitiis genuinum infigere dentem.*
Sunt tamen o NEMO *qui jam infamare laborant*
Crimine adulterij caput hoc quo haud sanctius ullum;
Quiq; velint te socordem furemq; videri.
At vos o superi qui crimina plectitis æquis
Lancibus, obscuras Erebi *hos detrudite ad umbras.*
Non scelus est sanctis ascribere turpia divis?
Non scelus est? famuli dextras cohibete rapaces,
An pote furari NEMO? *cui militat orbis,*
Cui Prænestinas *sese Dea culta per aras*
Format ad obsequium nutumq; agnoscit herilem.
Tu quoq; quid dubitas? credisne uxorius Aulæ
Pontice *blanditiis? tibi se hæc gravidam asserit uni,*
Aut si tu renuas in turpia crimina ducit
NEMINEM: *& hoc nomen culpæ prætexit honestum*
Quum tamen interea jam tertia labitur æstas,
Ex quo te patria terra, laribusq; relictis
Decolor accepit Ganges, *& merce beata*
Instruxit reducem remeanti in tecta carinam.
Credis adhuc dubitasne? at si sapis utere nostris

Pont-

Pontice *consiliis, alium q3 inquire parentem*
Huic, tibi quem nixu puerum dabit Ilithyia. *(prodam,*
Nunc ad me ut redeam, & bona NEMINIS *omnia*
NEMINE *nil mundus vidit formosius usquam;*
Hujus enim a facie insolitum traxere furorem
Delia, & Actęas *quæ cuspide protegit arces.*
Arsit & hunc Timon *homines licet oderit omnes,*
Thermodoõtiaca *& prognatus* Amazone, *& alto*
Bellerophon *subvectus equo per nubila & auras.*
Et merito, quoniam haud senio confectus & ævo,
Sed juvenis prima semper lanugine vernans,
Ille tamen durus, omnisq3 Cupidinis *expers*
Vsq3 pudicitiæ est custos, rigidusq3 satelles.
Inde unum hunc thalami socium, lectiq3 jugalis
Vult Italus. *quam vis forma superare* Dianam,
Lædeãq; Helenam *valeat*, Veneremq; *superbam,*
NEMINI *erit credenda uxor sine fraude dolisve.*
Rivalem hunc potis est unum perferre Tibullus.
(Credite mi juvenes) casta est quam NEMO *rogauit*
NEMO *expers fidei; at meritis ascendere cœlum*
Audebit propriis. potis est NEMO *omnia scire*
Quæ sunt, quæ fuerant, quæ post ventura trahantur.
NEMO *non vanus, tumida non mente superbus.*
NEMO *non sibi* Suffenus. *fata ante beatus*
NEMO *sua est. epulas vitat* NEMO *& bona vina.*
NEMO *magnorum felicia munera regum*
Spernit. NEMO *sibi solum uni nascitur. omnia*
Vincere NEMO *potest ullo sine milite & armis.*
NEMO *bonus dives.* NEMO *pauper sapere audet.*
NEMO *aulæ fumum q3 fugit, strepitum q3* Tobaccum
NEMO Caledoniis *solus prope damnat in oris,*

At fors damnandum populo se ostendet inani,
Si quid habent veri vatum præsagia. NEMO
Non amat illecebras, ventosi & gaudia mundi.
NEMO *pharetratæ potuit bene in urbe* Dianæ
Viuere, cui melior fingit dum corda Prometheus
Infuditq; animam magediam, & pectoris ignes.
NEMO *Bone sacris potuit vir adesse.* Cotytto
NEMINE *Bapta viro solita est cernente precari.*
Virtutem NEMO *propter se diligit: aut quod*
Luminibus mentis fœda sine labe videtur.
Et NEMO *est una qui haud peccat sæpius hora.*
Omnia scrutari potis est NEMO: *ipseq; postquam*
Omnia perspexit, trutina se expendere. NEMO
Novit quod sacro cortina remugit ab antro:
Nam se haud ignorat. NEMO *inservire duobus*
Rite valet dominis, pariter Mundoq; Deoq;.
Conjugis infrænes linguas, animosq; superbos
NEMO *domare potest: omnes ubi sæva quadrigas*
Flammarum, stimulante irarum effuderit æstu.
NEMO *alij propior sibi quam studet esse. benignus*
Pauperibus NEMO. NEMO *fati atq; diei*
Conscius extremi, totum quum legifer orbem
Assistet solio Omnipotens: *flammisq; verendus,*
Exposcet meritas injusto a sanguine pœnas.
NEMO Taum, Thamesinq; *uni parere Monarchæ,*
Te prior aspexit, qui jam moderaris habenas
Ter felix IACOBE: *hominum spes, cura Deorum.*
NEMO Pierios *cantus,* Musasq; *latentes*
Suscitat: & doctis proponit præmia curis.
Ahne pudet tandem quos Principis *aura benigni*
Sustulit ex humili, summoq; cacumine rerum

Constit-

Conſtituit, juſſitq; ſibi paulo ire ſecundos,
Spernere dulciſonæ modulamina blanda Thalię?
Ignoti ſed parvus amor; jacet obruta cœno
Pieris, *& mœſtos non audet tollere vultus.*
Noxia nobilibus nimium (proh fata) chiragra eſt,
Saxea corda ollis; minimum eſt quod abeſſe putares
A ſcopulis: certe vultum aſpexere Meduſæ.
Tu tanto medicina malo, Doctiſſime Regum,
Nemini *ades; dextraq; precor ſuccurre cadenti:*
Pondere tam magno preſſus gemit: ipſe ego dudum
Aſpexi feſſos tantis ſub molibus artus.
Nox fuerat, ſtratumq; thoro me ſomnus habebat;
Viſus erat Nemo: *viſo ſed* Nemine, *totus*
Dirigui: ſubitusq; tremor manavit in artus.
Ter volui: aſtrictæ rupiſſe ſilentia linguæ;
Terq; thoro exiliiſſe: at ter mihi brachia Morpheus
Intentans, vocem & verba imperfecta reliquit.
Dum dubito, noſtras vox turbida fertur ad aures:
Pelle metus, ego ſum quem tu non tempore primus
Vidiſti: noſtros quoniam prior hauſit ocellos
Tireſias: *ſed jam vates, jam lumine caſſus.*
Me quoq; Mors, *&* Amor *pariter vidère volantes;*
Et quem ego præcipue fovi nutricibus vlnis,
Mæonides: *patriæ ſpretus dum viveret oræ.*
Nemo *vocor: qui* Caſtaliâ *de valle ſorores*
Sæpius audivi, duris in rebus egentes
Auxilij; ſuccurri equidem, ſi prima recordor
Tentamenta mali; nec me ſervaſſe pigebit
Incolumes aliquando: en, & mea nomina ſeclis
Tradere venturis, (ea fama eſt) alite penna
Conantur. Tuq; o vates, huc dirige greſſus

Quo te fata vocant; si te non maximus ille
Justior haud alius, quo nec studiosior æqui
Me tamen excepto, vultuq; & voce benignus
Suscipiat venientem, adero tibi NEMO vocanti.
Dixit & in tenues fugiens evanuit auras;
Diriguere comæ, sed nox somnusq; reliquit
Multa quidem versantem animo, & majora parantem
Dicere. suntne aliquid, pondusq; hæc somnia secum (tem
REX invicte ferunt? an veri ludit imago
Per vigilantem animam atq; in se per cuncta reflexam?
Quicquid id est, ne me ista putes tibi fingere quæso
Per sceptrum REX magne tuum, sacramq; tiaram,
Perq; tibi famulas mea numina magna sorores,
Per jus, perq; pium, perq; o quodcunq; bonorum
Pectore sub tali posuit Devs: assere at istis
De tenebris, aliquamq; jube sperare salutem.
Sic NEMO major te sit virtute vel armis;
Sic NEMO ingenio tibi Rex factisq; superstet.
Sic NEMO in terris regnet te longius uno.
Sic NEMO videat tibi qui nocuisse pararit. (SAT.
Sic NEMO solus TE REX IMPUNE LACES-
Sic postquam extremos Lachesis tibi neverit annos
Astra petas; nec sit quem plus ventura animantum
Sæcula mirentur, stupeantve ingentia corda
Principis alterius, donec Sol igneus orbem
Ambiat, & Solis radietur Cynthia flammis.
Hactenus ingenij vecti super æthera pennis,
Perq; nihil, perq; hoc magnum quod inane videtur
NEMINE, nunc lapsu liceat descendere anhelo.
Quisquis es at cui se hæc submittet nostra legenti
Pagina, si capitis tangit reverentia sacri

NEMINIS & si fors meruit non durus amari;
Sanguine ne dextram viola: aut admitte nefandum
Hoc scelus, immeritas indicto ut crimine pœnas
NEMO luat: quod si moveat furor impius iras,
NEMINIS ultor erit. procul ergo abscistite Momi:
NEMINIS arbitrium patitur de NEMINE NEMO.

TRI-UNI DEO GLORIA



MVSEVM
BRITAN
NICVM

Ad Augustißimum Monarcham,

IACOBUM .I. MAGNÆ BRITANNIAE FRANCIAE & HIBERNIÆ REGEM FIDEI defensorem &c:

NEMO tuas par est, REGVM ter maxime, laudes
Dicere, cùm referas pectore, & ore Deos;
Regia mens, animiq; vigor, vultusq; decori
Gratia præclustris, intemerata fides,
Singula præstringunt oculos, animumq; retundunt:
Miremur dotes, Rex JACOBE tuas.

AD AUTHOREM LIBELLI de NEMINE

ADmiranda canis Leochæe, similima fictis,
Omnia vera tamen: NEMO homo, cuncta Nihil:
Namq; potest, quæcunq; potest homo, munia obire,
Et quæ non potis est: omnia NEMO potest;
Hęc præter, potis est Nihil; at NEMO herculè NEMO
Nil præstare potest; ergonè cuncta Nihil?
Sic NEMO nihil est, Nihil omnia, & omnia NEMO:
NEMO igitur neget hæc; est homo nemo, nihil.

David Leochæus.

MVSEVM
BRITAN
NICVM